R. Cyllenij

Ad Iustinianum Iustinianum Fori Iulij Pretorem amplissimum oratio

Tulmetij habita, mense Septemb. M.D.LXXVI.

D. Opt. Max. H. et G.

Credo equidem, Clarissime Prætor, te, itemq. hos, qui tibi
nunc assident, amplissimos, et ornatissimos viros, vehe-
menter mirari, quid sit, quod tam multis tacentibus,
ego potissimum, qui neq. ætate, neq. ingenio, neq. facun-
dia sim cum his, qui hic adsunt, ullo modo comparandus,
verba apud te hoc tempore facere audeam, ista præ-
sertim auctoritate, ac potestate, ista eloquentia, et
sapientia, ista deniq. integritate, ac virtute prædi-
tum. Audax nimirum facinus alicui videri possit, sed
non prorsus, ut ego sentio, reprehendendum, multo vero
minus animadvertendum. quid enim? si ceteri omnes
sileant, egone unus, quanquam omnium infimus, in hac
tanta, et communi de tuum ad nos optatissimum ad-
ventum lætitia me continere potero, quin gaudium
illud, quod alij in sinu tantummodo suo gaudere solent
hoc statim, quoquomodo possim, in medium afferam, atq.
in conspectum vestrum subito profundam? Iudicent
de me homines, quod velint, nunquam eorum conatus,
qui honesta præsertim, ac iusta aggrediuntur, etiamsi
ea assequi fortasse nequeunt, accusatione dignos exis-
timabo: neq. hanc audaciæ notam (si modo ea in me
potest inhærescere) dum huic meæ satisfaciam vo-
luntati.

luntati unquam a me reijciam, immo uero etiam libentis-
sime recipiam, eamq mihi laudi, non dedecori fore arbi-
trabor. Tametsi enim aduentus tuus, Clarissime Pre-
tor, quantum gaudij, ac uoluptatis uniuersae huic nostrae
ciuitati apportarit, ex eorum studijs, uultu, alacrita-
te, qui tibi obuiam ierunt, qui te uenientem excepe-
runt, qui nunc praesentem, ut de Coelo lapsum, intu-
entur, ut Presidem, uenerantur, ut Heroem ali-
quem e priscis admirantur, alijsq quamplurimis satis
expressis gratulationis signis ipse per te conijcere
potuisti: animorum tamen nostrorum uoluntates,
quoniam nulla re aptius, aut planius, quam oratione
declarari consueuerunt, dabo equidem hodie operam, ut unus
pro cunctis hoc oneris (si possim) sustineam, atq
huc potissimum adnitar, ut laudum tuarum partem
aliquam mihi liceat percurrere dicendo. Neq enim
omnia, quae de te dici possent, oratione mea ut com-
plectar, debes expectare. quod me facturum si polli-
cerer, quid aliud tandem agerem, quam ut ego me
iustissimo audaciae, ac temeritatis crimine mihi
metipsi, non modo uobis omnibus traderem condemnan-
dum. quae est enim tanta uis, quae tanta dicendi

copia

copia, qua hoc se praestare posse queat affirmare? uix profecto illa ipsa tua admirabilis, ac prope diuina facundia, si quo modo ea ab te seiungi possit, hoc profiteatur: quae quidem est in te tanta, quantam in nullo aut tuorum gentilium, et ciuium aut externorum hominum unquam uel meminimus uel audiuimus. Tu enim es unus hoc tempore, qui summam eloquentiam cum singulari prudentia coniunctam ita possideas, ut in dubium uenire possit, utra magis excelles. Nam si ante actae uitae tuae singulas actiones diligentius examinare uellimus, ita profecto tibi constare omnes uidebimus, ut nihil prorsus in iis discrepans, nihil non consentaneum, nihil denique quod prudentiae fines transcendat inueniamus. Neque enim tu unquam uel ab ipsa infantia uirtutum igniculos illos, a natura tibi, ut ceteris hominibus insitos contemnendos esse duxisti, ut eos uoluptatibus, ocio, inertia, ludis, libidinibus, quemadmodum magna pars mortalium solet, segniter elanguescere, atque emori sineres; Immo cum primum tibi per aetatem licuit, eos in lucem, atque in istam luminis claritatem, qua nihil hodie splendidius cernimus, non sine summa omnium admiratione eduxisti, quaeque essent hominis partes, cum plane

et aperte

et aperte intelligere coepisses: eas tibi statim sequendas, sanctequ etiam colendas animo proposuisti. Rerum deinde expetendarum fugiendarumue cognitionem cum actione pulcherrime coniunxisti ut quae perpetuo studio, ac diuturnis uigilijs, et sudoribus es adeptus, ea minime apud te, tanquam defossum thesaurum, duceres custodienda non nullorum hominum instituto, qui spreta rerum publicarum administratione, occultarum tantummodo contemplationi addicti, dum sibi solis ut uiuere, ita sapere volunt, sibi etiam solis sapientiam suam alunt, sibi in latebris suis ea perfruuntur: ciuitatibus suis ut nullum detrimentum, ita etiam nullum commodum apportant: sed ad tuam remp. more, institutoq. maiorum tuendam, ornandā, augendam, uti bonum uirum, atq. egregium in primis ciuem decet, statim ut tibi patriae leges potestatem fecissent, omnem tuam curam, operam, industriam, diligentiam, studium conferres. Itaque neq. tu postea ulla in re patriam, neq. te patria unquam deseruit; sed mutuis quasi operis traditis, et tu illam tanquam filius pietatis

plenus

plenus parentem tui amantissimam studio, consilio fide tutatus fuisti, ac tutaris: et ea te uicissim ut mater optima suauissimum filium beneuolentia, amore, caritate semper amplexa est incredibili. Declarant hoc ordine prope perpetuo magistratus amplissimi tibi ante etatem ab ipsa delati. in quibus innocentiam, grauitatem, continentiam, humanitatem, prudentiam, iustitiam, animi magnitudinem, constantiam, liberalitatem aliasq; preterea uirtutes tuas eximias, atq; innumerabiles, quasi aliquo in theatro explicatas, ostendisti sic, ut eas admirentur quidem omnes, multo uero maioribus ornamentis, atq; honoribus ob eas ipsas te dignum arbitrentur. Magna profecto, ac summa laus est eius, qui claris ortus maioribus, eorum quoq; uirtutem, tanquam amplum quoddam, ac precipuum patrimonium sibi censet retinendam: qui in reip. sua ac magistratuum administratione ita se gerit, ut ea ipsa uirtus, in oculis omnium posita, non secus inter alios homines eluceat, ac Hesperus, aut Lucifer inter sidera: qui sic incitato ad ueram laudem studio rapitur, ut multos gloriosi

laboris

laboris socios, ac consortes claros, et honestos viros
longo post se relinquat internallo; a nullo propemo-
dum ipse relinquatur. Quae quidem omnia in te
homines cum maxime admirentur, tum eodem ip-
so ferè tempore ad maiorum etiam tuorum im-
mortalem gloriam longissimè respicere, animumq.
aduertere solent. quorum tu uirtutem dum fac-
tis diligenter exprimis; ad eorum quoq. laudem
proxime accedere existimaris. Cui enim uel
paululum urbanorum annalium studioso obscurũ
est, plures in una familia tua, quam ferè in alijs
omnibus, claros uiros extitisse, eosq. uel religionis
et sanctitatis nomine, uel rerum bellicarum,
et urbanarum gloria, uel eloquentia, et sapien-
tia, rerumq. omnium praestantissimarum laude
quam maxime insignes? Ac mihi quidem, in uni-
uersam familiam uestram, tanquam in speculum,
acrius intuenti, facile primus omnium occurrit,
uelut antesignanus, aut uerius Princeps, Lauren-
tius ille, in coelo ipso diuinitus campidem consti-
tutus. qui ab ineunte aetate suopte primum
ingenio, deinde quinnae parentis, spectatissimae

foemina e

foeminae sanctissimis moribus, ac probatissimae uitae
quasi inuitatus, Diuae etiam uirginis matris per som-
num promissis illectus, ut se totum Deo Opt. Max.
in seruitutem dicaret; in diui Georgij (ut appellant)
ab alga monachorum coetum asisci uoluit; uera deinde
ac minime effucata religione eiusdem perspecta, dignus
est habitus, qui Venetiarum primus Patriarcha cre-
aretur; qui uitae tandem muneribus perfunctus
in Diuorum numerum referretur; qui post uitam
deniq in perpetuum ijs, qui aut eiusmodi uiuendi
institutum sibi sequendum statuissent, aut
sacris publicis a suis ciuibus praefecti fuissent, aut
Christo etiam nomen tantummodo dedissent, inte-
gritatis, innocentiae, pietatis, sanctitatis, mo-
destiae, probitatis lumen praeferret clarissimum.
Cuius si multos hodie similes ex ijs, qui uel religionem
sanctam profitentur uel sacris solennibus praesunt,
haberemus, melius ut opinor religioni nostrae
itaq adeo uniuersae Christi Ecclesiae consuli uide-
remus. Tanti uero Antistitis tam singulari
ac prope diuina gloria accedunt duo fratres duo,
ciuitatis plane ornamenta, ac reip. dum uixerunt
firmissima robora, Clarus ipse quoq Bergomatium
Praetor

Pretor primus, ac Leonardus D. Marci Procurator, cum uterq.
per se clarissimus, tum uero hic etiam multo illustrior
ob Bernardum filium tanto quidem patre dignum, uel
potius patre ipso aliquanto prestantiorem, Uirum (quod
omnes sciunt) Graecis, Latinisq. litteris eruditissimum,
preterea eloquentissimum, sapientissimum, de cuius lau-
dibus nulla unquam etas conticescet; in legationibus
quidem facundissimum, Principibus gratissimum, omni-
bus iucundissimum: in consilijs uero prudentissimum,
in reip. necessitatibus opportunissimum, in magistra-
tibus continentissimum, in iure dicendo iustissimum,
in tuendis ciuibus fortissimum, in sermone humanissi-
mum, in omnibus deniq. negocijs tam publicis, tum pri-
uatis obeundis tanta dexteritate, tanta temperan-
tia, tanta equitate preditum, ut merito eius no-
minis splendor sit immortalitati apud omnem poste-
ritatem in perpetuum consecratus. Cuius scripta
sic celebrantur, sic hominum prudentissimorum, ac
doctissimorum manibus tractantur, ut hodie Vene-
tiae ipsa non tam imperij sui cum diuturni, tum
amplissimi firmitate, ac maximis, quibus fulta, atq.
innixae sunt opibus, quam huius unius optimi ac grauis-
simi uiri praeclaris, atq. aeternis, quae nobis ille moriens
reliquit

reliquit, annalium monumentis stare, ac uiuere uidean-
tur. Cui si uita longior contigisset, nemini profecto
dubium unquam fuit, quin alijs amplissimis, quibus erat
functus, magistratibus, legationibus, procura-
tionæ denique dignitati, supremum etiam horum
omnium quasi fastigium, Ducatum ipsum imposui-
set. Ad quem tametsi per nimiam fati celerit a-
tem ascendere non potuit; non dignus tamen eo ha-
beri cum claris omnium uocibus, tum tacito etiam
consensu non potuit. Fuit enim ille, fuit si non
re ipsa Princeps, at uotis quidem omnium expeti-
tus. quæ laus à sapientibus uiris haud paulo plu-
ris, quam ulla dignitas, aut dignitatis insignia, solet
æstimari. A Bernardi non tam prolixa, quam suaui
commemoratione auocatus nescio quomodo ad se me ra-
pit uir non modo maiorum suorum imaginibus, sed suis
etiam ipsius laudibus cum maxime illustris, tum non
inter postremos Iustiniana familiæ proceres connu-
merandus. qui iuuenis adhuc, triremi uni præfectus
ac Petrum Lauredanum Venetæ classis Imperatorem
secutus ea gessit aduersus reip. hostes, idque uirtutis
quæ, atque indolis specimen dedit, ut ætate postea acce-
dente dignus sit habitus, qui uniuersæ classi præfice-
retur.

retur, ac Procuratoria tandem dignitate decoraretur.

Sed dies ipse me citius deficiet, quam possim singulos, qui in tua, Clarissime Praetor, familia, aut ~~[illegible]~~ gente claruerit, enumerare, aut consequi dicendo, cum vel nostra, uel patrum memoria huiusce quoq. patriae nostrae Praetores ex ea fuerint eiusmodi, ut eorum aequitatis, splendoris, humanitatis, atq. in primis liberalitatis fama adhuc aures omnium, ac mentes iucundissime peruagetur. Est enim illa fato quodam singulari praeter alias è tantis, tamq. grauibus periculis non hominum modo studijs, sed diuino etiam consensu nobis ad communem utilitatem superstes relicta. quae cum bello quodam exitiabili sane, atq. acerbo esset non ad paucos, ut ait ille noster de Marcellis, redacta sed ad internitionem usq., quod de Fabijs legimus, caesa, ac plane extincta; uisum est supremo numini inusitata quadam, atq. inaudita ad eam reparandam uti ratione. Nam, cum plurima nobilium ciuium tuorum, atq. satis ampla familia uarijs temporibus, uarijsq. rerum casibus, ac euentibus oppressa penitus interierint; haec una ex omnibus Dei opt. Max. certissimo iudicio digna

est,

est habita, quae uel reluctante Fortuna, uel aduersan-
te Natura, ita ab interitu uindicaretur, ut ad dubia
Reip. tempora, eiusq. aeternum ornamentum reserua-
ta, una etiam cum ipsa rep. uitam suam mirandu
in modum perpetuaret. quo quidem singulari
ac plane diuino munere ecquid aliud maius, aut cla-
rius proferri potest? an earum cuiusquam familia-
rum, quae ad hanc usq. aetatem, aut non magna in
bellis aut nulla prorsus aliunde accepta clade inco-
lumes, atq. integrae permanserunt, felicitas huic
comparanda, nedum anteponenda est? non equi-
dem opinor. nam si quid iis unquam huiusmodi uel
hominum culpa, uel temporum iniuria accidisset,
aut in posterum tempus accideret; haud scio
an idem sibi tunc fatum potuisset aut iam pos-
sent etiam nunc polliceri. Diuina prorsus dona
sunt haec, nobilissimi Auditores, neq. cum multis
a Diis immortalibus, uel aliis communicata, uel
nostrae communicanda. sed amplissima gens
tua, Clarissime Praetor, hoc tantum sibi praeter
ceteras, quasi praecipuum aliquod merito suo, be-
neficium exposcere uidebatur: hoc etiam ipsa

una, uti digna erat, diuinitus est consecuta. In
qua nunquam defuerunt, nec hodie desunt uiri
uel religione, uel magistratibus, uel bellicis arti
bus, uel legationibus maxime illustres. a qua
praeter te praetorem nostrum amplissimum Pa:
triarcham etiam habemus iam designatum Be:
nedictum gentilem tuum uirum cum sanctita:
te, et doctrina, tum omni uirtutum genere
spectatissimum ita, ut nos duplici bono, ab una
domo Iustiniana in patriam nostram deriuato,
hoc ipso tempore diuina bonitas afficere, atq
ornare uoluisse uideatur. Id quod satis indi
cat Aquila biceps aurea gentis tuae cum hone-
stissimae, tum uetustissimae, ab ipso quippe Ius-
tiniano Imperatore originem ducentis insi-
gne. quae quid aliud uidetur significare, quam
incredibilem quandam eiusdem in omni aetate
ac prorsus admirandam tum in magistratibus
uigilantiam, et aequitatem, tum in imperijs auc-
toritatem, et maiestatem, tum in beneficen
tia alacritatem, et humanitatem, tum in obe-
undis negocijs ingenij acumen, ac firmitudinem

tum.

tum in rebus omnibus summam prosperitatem, et felicitatem?
Mirentur alij si quod in ceteris unum tantummodo in singulis
muneribus praeclarum factum audierint. Nos vero in hac
una tua cum nihil omnino quicquam simplex, at geminata
omnia excellere videamus, an mirum cuiquam videri poterit,
si maxima admiratione obstupefacti, Iustiniani eti-
am nomen conduplicatum tibi apte hac ipsa potissimum
de causa convenire clamaverimus? qui ex ea ortus es familia, cuius
iam vel sexcentis aetas provecta denuo (quod paulo
ante dixi) ad ipsum iuventutis florem pulcherrime re-
dire possit. Ad quam vates ille divinus respexisse tunc
visus est, cum divino etiam instinctu percitus dixit.
Renovabitur, ut Aquilae, iuventus tua. o beatam
praeter alias, ac vere fortunatam familiam hanc, cui vel
florenti in aetate maturam senectutem expectare,
vel, adventante senectute, abeuntem iuventutem
remorari divinitus concessum sit. quae suis ~~[illegible]~~ in or-
bem perpetuo redeuntibus quasi vicissitudinibus inte-
ritum sic effugiat, ut cum maxime eam fati vis oppri-
mere, atque obruere velle videatur, tunc potissimum ab
ea se victum fatum ipsum esse fateatur: quae denique
eodem ipso tempore conveniente sic floreat, ut palma

ita

ita multiplicetur, ut Libani cedrus. Tanto igitur,
tam praeclaro, tam dijs, hominibusq. grato, atq. accep:
to genere cum ortus sis, Clarissime Praetor, ecquae maiora
laudis tuae monumenta extare, quae honoris ornamen:
ta potiora dici, aut existimari possunt, quam cum
actiones tuae, vel in unum simul omnes collectae, vel
singulae per se ipse ~~ad~~ animaduersae, in conspectu
omnium ita eluceant, ut in una eximia tua virtute
dignitatem maiorum tuorum, quam memoria suauis:
sime recolunt, libentissime etiam agnoscant? quanta
enim, quamq. egregia sit virtus tua, satis indicant
urbani illi magistratus, ac Praeturae, quas hacte:
nus gessisti, atq. in primis haec, in qua hodie magna
tua cum laude te exerces, sic, ut singularis integri
tas tua, cum summa aequitate ac prudentia coniunc-
ta, eo maiori apud omnes homines sit admirationi, quo
magis haec superioribus annis in alijs fuerant desideratae
in ijs inquam, qui non ad prouincias administrandas a
senatu Veneto missi, sed quasi ab Aristippo aliquo
ad fruendas voluptates, atq. ad omnis generis delec:
tamenta percipienda euocati esse videbantur:
qui non in maiorum suorum praestantissimorum mai:

rorum

rorum, uestigijs insistere oportere, sed in Epicuri potius hortis molliter, ac delicate recubantes uitam quandam uoluptariam, curis, negotijsq omnibus uacuam, et solutam, muneri quidem, ac generi suo et hic parum congruentem, ducere tamen sibi per omnes etiam homines licere existimabant. Neq. uero quam turpe id sibi, quam sua nobilitate alienum, quam deniq homine libero indignum foret, cogitatione consequi uel poterant uel uolebant. Quod dum ab ijs immoderate admodum, ac intemperate fiebat, forum interim clausum, ac iudicijs uacuum, cædes passim fieri, rapinas, stupra, incendia, latrocinia uidebamus: nihil usquam tutum, nihil cuiusquam esse proprium: impune homines flagitiosos, ac nefarios in optimum quemq. grassari: ijs unis omnia licere: eorumdem libidinibus omnia esse inferiora: atq in tanta perditissimorum hominum gladiorumq impunitate, et licentia bonos uiros miserrime iactari, ac uexari, leges silere, magistratus ludibrio haberi: quæ cum nimis diu, atq indignius etiam, quam oportebat, passa esset hæc nostra patria; tum primum Dei opt. Max. benignitate, à tot, tamq diuturnis malis quasi respirare, ac lucem in tantis tenebris intueri

sibi.

sibi uisa est, cum optatissimus nuncius de te Pretore iam designato huc est allatus. qui uix dum ad aures nostras bene peruenerat, cum laetiora apud nos fieri omnia, atq. ad spem secundioris fortunae animi omnium erigi, nomenq. tuum laetissimis uocibus, atq. effusis plausibus celebrari, atq. in coelum tolli coeptum est. Nulla profecto multis ab hinc annis, si memoria superiora tempora repetere uolumus, cuiusquam Praetoris renunciatio tam bonis, tam claris, tam faustis~~que~~ omnibus fuit excepta, tantasq. ex animis omnium, tamq. exquisitas gratulationis significationes exprimere potuit. Neq. uero spes illa, quam tunc animo conceperant, eos postea frustrata est. Nam quae Principis partes sint, eiusq. qui ad multorum custodiam consensu omnium admissus sit, non solum optime tenes, sed, eas tenens, praeclare etiam eas atq. egregie quidem sustines. Epaminondas ille Thebanorum dux (quod te non fugit, Clarissime Praetor,) ludorum diebus, cum urbis suae moenia solus circuiret ex eo quaerenti cuidam, cur, omnibus eo tempore uino, conuiuijs, ac hilaritati deditis, unus ipse animo sollicito, atq. occupato urbis loca remotissima perambularet, respondit se iccirco id agere, quo ceteri

teri securius, ac tutius ludis, atq. oblectationibus, prout
cuiq libitum esset, operam dare possent. Preclara sane
uox, ac tanto Principe uere digna, qui non ad ocium, aut
uoluptates capiendas, sed ad ~~[illegible]~~ res gerendas, cumq.
in primis ciuitatis salutem procurandam, et conseruan-
dam delectum Imperatorem intelligebat. Quid, quod
Homerus poetarum summus non satis habuit eum, qui
alijs preesit, uno patris nomine tantummodo appellare,
sed ad patris uocabulum addidit etiam, mansuetum?
quo nomine haud scio, an aliud inter homines ullum be-
nignius, aut ipsi nomini appositum, et aptius inuenire
potuisset. Ut enim parentem bonum, ac mitem diui-
nitus nacti liberi, tum ipsi, tum domestici omnes bene
beateq. uiuere solent, cum eo utantur custode, ac presi-
de rerum suarum, qui uel res aduersas ab ijs, quamlongissime
potest, auerat; uel secundas pro uirili parte acceruat;
sic in summo ciuitatis Rectore salus omnium, qui eius
fidei commissi sunt, posita, ac ~~[illegible]~~ constituta esse uidetur,
cum is honore bonos, poena improbos afficiat; beneficen-
tia deniq in omnes, quantum in ipso est, utatur. quae
quidem tria ex Graeci etiam hominis, ac docti senten-
tia uitam hominum, atq urbium incolumitatem diutis-
sime solet conseruare. Quae sunt igitur corporis uolup-

tates.

tates, cum his honorum, ac beneuolentiæ premijs comparan=
dæ? quid forti, ac sapienti Præsidi uel ad inmortalitą=
tem memoria gloriosius, uel ad delectationem iucundius,
uel ad dignitatem illustrius contingere potest, quàm
si in eam curam totus incumbat, ut salus suorum nun=
quam culpa sua in discrimen adducta esse uideatur.
Amant ciuitates, ac prouinciæ Prætores suos, eosq. ad
coelum usq. laudibus extollunt, quos de uita sua, de fama,
de fortunis, de incolumitate non minus, quàm parentes
ipsos de liberis suis, laborare intelligunt, eosdem etiam
timent, ac sanctè, pieq. uenerantur. Atq. si Plato
uir totius Græciæ facilè doctissimus, beatas
tum deniq. resp. fore putauit, si aut docti, et sa=
pientes homines ad earum gubernacula accederent,
aut qui iam accessissent, omne suum studium in doc=
trina, ac sapientia collocassent: an non de prouin=
cijs idem quoq. erit affirmandum, quas eorum consilijs
gubernari uidebimus, qui ea ipsa præcepta, quæ sapi=
entissimorum uirorum certis è disciplinis, antiquita=
tisq. monumentis iam inde ab ineunte ætate
haurire coeperunt, ad earum postea conserua=
tionem suo tempore expromere parati sint?

Debet.

Debet igitur tantum haec tibi prouincia, Clarissime
Praetor, quantum haud scio, an paucis adhuc, aut fortasse
etiam ante te nemini: quae tuis prope manibus suble=
uatam se, ac sibi restitutam uidet: quae sibi afflictae,
ac pene iam perditae, et deploratae eam sentit abs te
allatam opem, ac medicinam, quam uix ab Aesculapio
Apollinis satu edito (si in re seria poetice loqui fas
est) sperare potuisset. Quis enim auspicijs Iusti
tiam, humanae societati coniunctissimam, familiae tuae
alumnam antiquissimam, aliorum incuria delapsam ex-
ulem, errantem, nunc primum reuocatam, atq; in sede
sua quasi repositam, ac constitutam intuetur: ut
merito dignus tanto nomine, et cognomine habearis,
neq; bis modo Iustinianus, ut appellaris, sed ter eti=
am, et quidem maximus iure optimo sis appellandus
ac principatu regio dignissimus existimandus. quid
uero cum Iustitia non boni, quid non cum iniustitia
mali est coniunctum? Ut enim Iustitiae nullum
cum improbis commercium esse potest, nullum cum frau
dulentis, dolosis, adulteris, periuris, raptoribus, sicarijs
furibus, latronibus, alijsq; eius generis hominum pesti-
bus; sic, apud quos ipsa uiget Iustitia, eorum qui-
dem ciuium urbes (ut e poetarum numero quidam

etsi

etsi graece, uere tamen, atq ornatissimis, optimisq uersibus decantauit) diutissime maximeq flore resident nunquam fame, nunquam alijs huiusmodi malis, incommodisq conflictantur; at pace fruuntur perpetua ac placidissima. Terra apud eos foeta frugibus fructus edit uberrimos, et laetissimos. oues, ut alia earum commoda omittam, uillis suis uestitum hominibus atq ornatum large suppeditant. Non ijs pecudum greges, non armenta, non reliquarum rerum satis bona, ac magna abest copia. Nulla in uiris perdita nequitia, nulla in adolescentibus profusa luxuries, nulla in foeminis impudens intemperantia cernitur. Sui quamq naturam, atq aetatem mores maxime commendat. suos quisq facile agnoscit amatq liberos. Sua coniugibus fides, sua caritas adest. E suis nemo non aequissimo animo fruitur bonis, ac fortunis. honestum deniq in omni re dominatur. quis enim haec tam multa a bona lustitia, antiquissimi, atq elegantissimi poetae grauissimo testimonio profecta bona, non magna, non singularia, non plane diuina esse fateatur? quis non ijs contraria mala cum ~~impiis~~ impiorum manium cruciatibus,

cum furiarum

cum furiarum tedis ardentibus audeat comparare?
Cum tu igitur tot tantisq malis a nostris tandem
ceruicibus, quam maxime per te potuit, maxime depulsis,
ad optatam nos iterum fortunæ pristinæ statum,
quo pridem deiecti, mœrentes diu carueramus, quasi
Deus aliquis, facile reuocaris: equidem, si cuncti
tanta merita spectare, eorumq partem saltem
aliqua grati animi significatione assequi uelle-
mus, censerem tibi non modo statuas, ac imagi-
nes, ut alijs plerisq summis uiris, consecrandas,
sed etiam, ut olim M. Marcello, ut Mutio Scæuolæ
ab eorum nominibus dies festos in suis prouincijs con-
stitutos fuisse legimus, sic de tuo nomine, et
cognomine meritissimo sumpta Iustinianea quot
annis in hac tua patria statis diebus esse agenda,
quæ non minori a nobis cultu, et honore, omniumq ordi-
num frequentia publice celebrarentur, quam uel
a Syracusanis Marcellea, uel ab Asiaticis Mutia
fuisse celebrata accepimus. Sed, (quæ tua est
temperantia, ac prudentia) neq honores huius
modi, quanquam dignitati, ac uirtuti tuæ uel max-
ime debitos, studiose unquam appetisti; neq
uelde nunc postulas, uno quippe laborum tuorum

honestissimo

honestissimo quasi fructu contentus, eo videlicet fama, quam tuis preclaris, divinisq. factis conse- queris. Hac enim una capite non invite finis, hac una delectaris, in hac una deniq. libentissime conquiescis. quod quidem premium ex omnibus virtutis premiis sapienti, ac forti viro solet esse amplissimum. Sed quidem statuas, imagines, elogia, ludos, dies festos, aliaq. eiusmodi vel ho- minum manibus extructa, vel publicis decretis instituta monumenta, qua multi ad insaniam etiam usq. persæpe consectantur, ipsum fere tem- pus, ut omnia consumit, aufert, ac proterit. At vero eam gloriam, quæ optimum quemq. consequitur, nul- la unquam dies violabit, nulla ætas imminuet, nulla temporum domet iniuria, nulla deniq. vetustas delebit. Ea te semper ac omo veros prosequ- tur, deducet, comitabitur; nunquam, ne in morte quidem, deseret, sed omni posteritati in perpe- tuum commendabit. Ac vivet virtus tua secula- rum omnium memoria, vigebitq. quandiu sol ille luce sua, omnia, supera, infera, media lustrabit neq. mea tantummodo, ut nunc, voce hac frac-

inquam

inquam et attenuata, qua millesimam uix partem
laudum tuarum attigi, sed praestantissimorum
uirorum ac peritissimorum clarissimis uocibus
atq. aeternis monumentis publice, priuatimq.
quotidie celebrabitur. In primis uero haec pa:
tria nostra uniuersa cum nostro etiam hoc
quantulum id cumq. est, oppido Tulmetio, tui
studiosissimo, nomen tuum nunquam desinet
praedicare, extollere, ipsumq. laudibus efferre, quibus
illa poterit maximis, tum ob ea, quae iam abs te
accepit immortalia beneficia, tum ob alia etiã
maiora, quae adhuc abs te ipso uel absente
sperat, atq. expectat; tuiq. quam simillimos
insequentium annorum Praetores exoptare,
quibus exemplar iustitiae, continentiae, uigilantiae,
integritatis sis ipse, tanquam alter Q. Mutius
futurus. In quo tuam gloriam tunc uere max
imam esse, omniumq. laudibus anteire intelligas,
cum uidebis eam nullius unquam, tametsi di-
serti, et grauis uel scriptoris, uel oratoris uoci-
bus, aut litteris, multo minus exili hac mea, atq.

inculta

inculta oratione pro dignitate satis posse con:
mendare. quod cum diligenter tecum ipse con:
sideraueris, tunc me etiam uenia fortasse
non indignum existimabis, qui uirtutis tuae
praestantiam, non tenuis exploratis ingenij mei
uiribus, dicendo assequi posse me speraverim.
Iam enim resipisco, atq. tunc demum intelligo
(idq. non sine maximo meo pudore) quo me
imprudens coniecerim, cum huius exitum
orationis quo modo expediam, in praesentia
non facile reperiam. Sed tua singulari
fretus humanitate confido te, qui tam be:
nigne aures dicenti mihi dederis, eundem
quoq. non difficilem in danda uenia fore, ut non
tam ipsius orationis tenue filum, quam ani:
mi mei summam alacritatem respexisse uidea
re. quod abs te ut impetrem, atq. exoren,
non modo ego uehementer expeto, sed om:
nes etiam hi nostri ciues cum tacite rogant,
tum uero id multo exploratissimum habent

Dixi

Vides ut alta stet nive cand